



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 3. Sanctorum virorum irrisores equorum ritu caudati facti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

dore: & operiantur sicut diploide confusione.
Denique quid si sago digna fuit sagal
vt aded proles eius indicaret, matrem sua
intus & in cute nihil valuisse?

§. III.

*Sanctorum virorum irrisores equorum ritu
caudati facti.*

Sæpe Deus irridet irrisores suos, aut
suorum, eosq; ignominia notat, qui Diuo
alicui notam volunt aspergere. In Angli-
cana historia de D. Thoma Cantuariensi
hæc habet Polydorus Virgilius: *Rogerius et
homo facinorosus, cum sui furoris sociis episco-
pis, continuo in Normaniam aduolat, atq;
ibi simul ad vlciscendū ardentes regem aduent,
apud eum nomen Thome deferunt, eundem
accusant, culpant, criminantur, quòd sacer-
dotij libertatem, quòd ius humanum pariter
atque diuinum, quòd instituta maiorum euer-
tere, corrumpere, delere deniq; conetur, qui
sibi tantum sumat, vt velit episcopos suo arbi-
tratu Christianorum cœtu excludere, exclu-
sosq; perpetuò exterminare: item regia prae-
rogatiuæ derogare, ac cunctis ius ciuium tol-
lere. Præterea si quos sentiant in aula esse, qui
inimico sint in ipsum Thomam animo, eos ar-
dentes similiter inflammant, inflammatos, ar-
mant,*

Polyd.
Virgil. l.
13. Angli-
can. hist.

mant, concitant ad machinandū illi perniciem,
 Sed ne plura, hac & talia eiusmodi ita regem
 Henricum mouerunt, ut ira vehementer ac-
 census aliquando exclamarit: Me miserum,
 non possum in meo regno pacem cum vno sacer-
 dote habere? nec quisquam meorum omnium
 est, qui me hac molestia liberare velit? Ex
 huiusmodi vocibus fuerunt improbi nonnulli
 quibus visa est occulta voluntas regis esse, ut
 Thomas e medio tolleretur, qui propterea ve-
 lut hostis regis habitus, iam tum sic coepit vul-
 go negligi, contemni, ac in odio esse, ut cum ve-
 nisset aliquando Strodum, qui vicus situs est ad
 Meduciam flumen, quod flumen Rocestriam
 alluit, eius loci accolæ cupidi bonum patrem,
 ita despectum ignominia aliqua afficiendi, non
 dubitarint amputare caudam equi, quem ille
 equitaret, seipsos perpetuo probro obligantes:
 nam postea nutu Dei, ita accidit, ut omnes
 ex eo hominum genere, qui id facinus fecissent,
 nati sint instar mutorum animalium caudati.
 Sed ea infamie nota iam pridem unâ cum gen-
 te illa eorum hominum, qui peccârint, deleta
 est, Hæc Virgilius. In qua pœna Deus do-
 cuit, irrisiones redire ad irrisores. Quo
 enim adempto equum deformarunt, eo
 ipsi acquisito inmentis insipientibus sunt com-
 parati.

parati.

Delrius
l. 2. Disq.
mag. q. 14.

parati. Delrius ait, Deo notum esse, num
ultima particula à Polydoro in gratiam,
an ex vero sit afficta; conuicium certè in-
gentem totam manasse, & durare inter
homines. Simile diuinæ ultionis exemplū
exhibet Dockumensium Frisiorum pœna,
ob eorum Episcopum S. Bonifacium cum

Cornel.
Kemp.
Docku-
mensis, l.
2. de Orig.
Frisior.
c. 21.

*socijs cœsum. Nam horum Sanctorum indi-
gnam mortem,* ait Cornelius Kempius, in
*filiis filiorum Deus vindicauit: ut passim ex
eorum familiis (quorum maiores tam nefariū
scelus perpetrarunt) in hanc diem videantur in
occipite habere grossos crines subalbi coloris,
in modum caudæ cuiusdam bruti animalis, in-
stè dixeris,*

*Sentit adhuc proles, quod commiserunt
parentes.*

§. IV.

Manus monstrosa è ligno enata.

Ianson.
10. 2. l. 9.
Mercurij
Gallo-
belg.

Manuum quoque atq; pedum monstra
extitisse reperio. De manu mirabile quid-
dam narrat Iansonius, quod Anno 1594.
Coloniæ edidit, postquam id ipsum Lu-
becæ impressit Ioannes Balhorn. In Me-
chelburgensi Ducatu, quatuor circiter mil-
liaribus Rostochio, ad oppidum Butzau
pagus est Muifal, in cuius pagi templo,

Anno